
IOANNIS BAPTISTAE FIDELISSIMI PISTORIENSIS PASTORALE...

Giovanni Battista Fedelissimi



IOANNIS BAPTISTAE FIDELISSIMI PISTORIENSIS

PASTORALE CARMEN.

In quo sub nomine Branae Ciuitas Pistoriensis laetatur.

FULUIUM Passerinum sibi contigisse Pastorem.

Perillustri, ac Reuerendissimo D. THOMAE Vanninio Pistoriensi Auellini Episcopo.








FLORENTIAE,
Apud Michaelemangelum Sermartellium. B.F.
Cum licentia Superiorum 1599.

PERILLVSTRI, AC REVERENDISS.^MO D. THOMAE VANNINIO PISTORIENSI.

Ioannes Bapt. Fidelissimus.





POLLINEM, & Medicinæ, & Poesis auctorem fuisse, tùm græcè, tùm latinæ testantur paginę. Sic enim legimus ab eo quod ἀπαλλάττει dictum esse Apollinem, μουσηγέτων autem quasi ducem, & Musarum Principem. Vnde Virgilius ita lusit.

Mentis Apollineæ vis has mouet vndiq; Musas,
In medio residens, complectitur omnia Phœbus.

Ac de eo quoque Ouidius.

Inuentum Medicina meum est.

Ea propter nemini mirum videri debet, si ipse, qui Medicinam profiteor, quandoque simul carmina cōdens Musarum latibula ingredior. Quod

 si vera

ſi vera fateri debeo (Amplißime Antiſtes) iam plures aguntur anni, ex quibus propter aſsiduas in viſendis ægris occupationes, ne minimum quidem ocii Medicina mihi reliquit. Cum autem in hoc Amplißimi FVLVII Paſſerini Epiſcopi ſolemni in hanc vrbem ingreſſu id forte mihi modò contigerit (faxit Deus, vt hæc Ciuitas, optima ſemper ſanitate perfruatur) pauca hæc, quamuis impolita carmina gratitudinis ergo breuiter exarata, Amplißimo nomini tuo, deuoto animo dicare decreui; Quandoquidem cum Epiſcopatus tibi munus demandatum fuerit, quod tanto viro commiſſum erat, & ſimul hæc à Medicinæ profeſſore prodeant, nemini aptius, quàm Amplitudini tuæ dicari poterant, quæ iam elapſis annis Romę Medicinam, non ſine omnium admiratione profeſſa eſt. Hoc igitur munus qualecunque fuerit, non vt ab exercitato Poeta, ſed à Medico hilari fronte ſuſcipias, & me, Patremquè meum Gherardum, etiã Medicinę profeſſorem, tui nominis obſeruãtiſsimum, mutua dilectione proſequere. Vale Piſtorii. viii. Cal. Iulii. MDXCVIIII.

IOANNISBAPTISTAE FIDELISSIMI

BRANA

SVB NOMINE CIVITATIS PISTORIENSIS,

Quæ FVLVIVM Passerinum sibi contigisse Pastorem lętatur.





ISTORIENSIS agri clarißima Nympha Diana
BRANA, inter Tuscas non asper nanda puellas,
Quam formosa colit, celeberrima Flora, Paterq;
Arnus iam pridem grato dignatur amore,
Promissum longo dilectum tempore Daphnim
Expectans, querulo mulcebat singula cantu.
Hic ille est Daphnis virtute, ac sanguine clarus
Quem docuit Phœbus modulari carmen auena,
Hic ille est Daphnis gratus Pastoribus, atque
Nymphis; Hic ille est Brana quem inuenerat Arnus,
Et quem præclarum titulis super æthera summis

Duxerat. Hic ille est Daphnis, quo doctior alter
Non fuit; Hunc ergo cupiens pulcherrima Brana,
Cuius amor diris vrebat pectora flammis,
Cunctantem nimium, noctesq́, diesq́ morantem,
Flebat, & ambrosio tandem sic ore locuta est.
O' vos felices, vos terq́, quaterq́ beatæ
Tirrhenæ Nymphæ; Postquàm gratissima semper
Lumina Pastorum, & vultus quoq́ cernere fas est,
Nec non optatas audire, & reddere voces;
O' quoties vario cum fulgent prata colore,
Ac nemus omne viret, patulæ sub tegmine quercus
Vos iuuat intonsas cythiso saturare capellas,
Et dulci modulo molles inflare cicutas?
O' quoties iuuat immensas celebrare Deorum
Laudes, ac vestras extollere ad æthera mentes,
Et dum diuini gustatis semina verbi,
Et dum cœlestes hauritis pectore rores?
O' quoties iuuat æterni admirarier alta
Tecta Iouis, Solisq́ vias, Lunæq́ labores,
Ingentemq́ globum terræ, infernosq́ recessus,
Ac hominum mores, & rerum noscere causas?
O' quoties memini cum Syrius vreret agros,
Ac simul argutis canerent arbusta cicadis,
Per nemora, & siluas cursu, iaculisq́ fugaces
Me acquisisse feras, & multo sæpe labore
Lustrauisse vagos passim per flumina pisces?
Dum

Dum viridi pecudes pascebant littore gramen?
At modò per valles, perq; abdita lustra ferarum
Sola vagor, mœstos ducens, è pectore fletus,
Mille trahens diros ex imo corde dolores;
Daphnim sæpè voco, resonant ad sidera Daphnim
Et Siluæ, montesq; simul, Vallesq; profundæ,
Figo oculos, & cuncta notans, & singula circum
Spectans, nec præest ideo sua dulcis imago;
Sic fleo, sic fletu crescunt, lacrimisq; fluenta,
Sic rursus clamant, clamāt mea carmina Daphnim
Adsis, ò tandem nimis expectate, meosq;
Accipias gemitus, & flecti siste precando,
Daphne noster amor, nostrum decus, atq; voluptas
Te Nymphæ, te rura vocant, pauidæq; capellæ,
Te sine rura gemunt, Nymphæ pauidæq; capellæ,
Te sine Brana nequit tantum lenire dolorem
Heu miseræ mihi, quis nunc Pastor retia damis
Tendit? Quis nūc terret apros? Quis flumine mergēs
Infirmas nunc curat oues? Qui signa procellæ
Demonstrat Daphnis? Pecudes ad pascua ducit
Quis Pastor? Miseræ heu mihi, sic nā perdita semper
Sic sine te viuam? heu miseræ quis taliæ fando
Contineat lacrimas, & lucti sonos singultus?
Credite Pastores, Pastores credite mors est,
Ducere felices pulcro sine Daphnide noctes,
Sic ait illacrimans, pallentia lumina voluens

Horruit, & miſeram ſtatim vox ægra reliquit,
Sternitur, inq; humeros ceruix collapſa recumbit,
Qualis vbi viola effuſo cum forte grauatur
Imbre comas, turbata cadit, ſucciſaue aratro
Langueſcit moriens, Phœbi ſiccata calore;
At procul inde Arnus, Branam miſeratus ab alueo
Extollens caput, inter ſe ſe attollere frondes
Cœpit, cui crines vmbroſa tegebat arundo,
Tum ſic affari, & curas his demere dictis.
Quid, Quid Brana iaces? Cur ſic es decolor ore?
Quid, Quid Brana doles? tantæ quæ cauſa querelæ?
Quis tua tam dirus compleuit pectora languor?
Heu quam te Brana aſpicio? Tua ne illa ſereno
Sole magis fulgens facies præclara? Tui ne
Illi oculi? Vnde hæc eſt fera ſic exorta repente
Tempeſtas? Quid Brana ſiles? Quid mẽte reuoluis?
Ille ego ſum Rector fluuiorum nobilis Arnus,
Quique tuas noſtro complector flumine Lymphas,
Cur ſic ergo ſiles? Tanti quæ cauſa doloris?
An tuus ille nitens non dum has conuenit ad oras
Dilectus Daphnis? Quid ſpectas Brana? Quid au-
Ah tuus ille nitens nondũ has conuenit ad oras (des?
Dilectus Daphnis, Daphnis dulciſſima Branæ
Speſq; ſaluſq; meæ Quid cernis Brana? quid audes?
Surge, age, fare precor, triſtes dimitte querelas

Sume

Sume animos, vireſq; ſimul, properauit ad iſtas
Namq; oras tandem Paſtor, vultuq; benignus,
Et quoq; mente pius, ſemper manſurus ad vndas
Brana tuas, longo hic tecum gaudebit amore,
Hic miſeras morbo pecudes curabit acuto,
Hic te ventorum, tempeſtatiſq; futura
Signa docebit ouans, hic iuſtus templa Deorum
Aeternum colet, ac indutus veſte, ſacratos
Vſque dies feſtos celebrabit, vota, preceſq;
Offeret, ac pecudum intentus pro ſæpè ſalute
Plurima placatis dicabit munera Diuis.
Hunc igitur pridem ſperatum amplectere Daphnim
Hic tibi ſit Paſtor, tanto committe capellas
Paſtori, & vitam, & mores venerare probatos;
Sic Diana tuis gaudebit candida votis,
Altitonanſq; Deus celſo te cernet olympo;
His dictis vires reuocauit Brana relictas,
Mœſtaq; turbato, euertit ſuſpiria corde,
Ac tam præclarum cupiens iam cernere Daphnim,
Accurrit properans, ſequitur Pater Arnus, eumq;
Præmonſtrat, ſequitur Paſtorum maximus ordo,
Nympharumq; cohors; ſic felix Brana cupitum
Excipiens Daphnim, Daphnim laudare decorum,
Haud ſinit, ac Arno ſupremas reddere grates.
At poſtquàm mille amplexus, ac oſula mille
Impreſſit fronti; Nymphis comitantibus inquit,

Veniſti

Venisti ô tandem nostri spes vnica Daphnis
Ingredere hunc thalamum lætus, sacrosq; hymenæos
Cantemus, nostris succede penatibus hospes.
Daphnis, at illius dextram complexus inhæsit,
Ac hilarem propius Branam sectatur euntem.
Sic felix Pastor, sic felix Brana, sacratos,
Incipiunt ludos, precibus Diuosq; precantes
Deniq; concordes composita fœdera iungunt.
Vos igitur tanto læte pastore capellæ,
Viuite felices, felices Nestoris annos
Viuite, tuq; simul pulcherrima Nympha Diana
Brana, inter Tuscas non aspernanda puellas
Viue diu felix, cæli fulgentior astris.


FINIS.



IN

IN DAPHNIM D. IOANNIS BAPTISTAE FIDELISSIMI.

Raphael Cancellerius I.C. Pist.



*OECVNDAS fido celebras dum pe-*
ctine Daphnim,
Depascet studio sæpe laboris oues.
Me sua deterret facta immortalia plectro
Ferre tua Aonia sunt ea digna fide.
Nempe ille est Daphnis, noctis caligine mersis
Peruigilans, rebus lumina clara gerens,
Lux tandem optata aduenit, lux aurea cælo
Auspiciis sacri numinis ecce nitens.
Omnis grata venit nobis fiducia secum,
Et priscus templis redditur omnis honos.
Iam venia errandi est agnis in vallibus arcta
Et rerum facies iam noua versa viget.
Laudis amor rediit, rediit memorandaq; virtus,
Et subeunt mentes gaudia læta virum.



